

ENCOMIUM URBIS FREIBERGÆ,

AUCTORE
JOANNE GULIELMO CAPOFERREO,
MONTENSI, POET. CÆS.



Freibergam canimus. Vos, quæ præstare putatis
Huic urbes aliæ, lingvis, dum canto, favete.
Misnia, terra viris doctis, formisq; Dearum
Inclyta, certantes opibus tres continet urbes,
Quarum mercatu celeberrima Lipsia, Dresda
Sede Ducis, soror argenti Freiberga fodinis,
De qua sermo vetus fertur: Si Lipsia nostri
Esset juris, eam Freibergæ absumere vellem.
Credo quòd annona est hîc vilior, & magè lenis
Hospitibus genius non plus exposcere justo.
Sed primùm memoranda mihi sunt ordine prima:
Huc ades, & cursum timidæ rege, Phœbe, carinæ.
Marchio, qui nomen Baptismate rettulit Otto,
Otto manu, sensuq; bonus, gnarusq; regendi,
Ac populi crescentis amans, cum Czechica proles
Vulgasset famâ multò plus esse valoris
Hermundurorum argenti de semine massis,
Quam quæ Goslariam circum peterentur, & ipse
Scrutando doctus sic rem sensisset habere,
Hisne locis, non sat certus, bene conderet urbem,
Vatem consuluit, quem tunc servabat eremus
Viventem sanctè, ac longè ventura videntem.
Ille Dei patiens, postquam de pectore sensus
Exspuit humanos, his vocibus ora resolvit:
Urbem, quam signas animo, & signabis aratro,
Fide locans fixis mansuram sedibus urbem,
Cui cælum, & tellus famulentur, & atria Ditis:
Cælum corporibus, menti q; salubribus astris,
Ac puri splendore Jovis; pia munere frugum,
Et silvis, & aquis, omniq; in imagine tellus;
Tartara vicino non invidiosa metallo.
Se senio ostentent aliæ, Romaq; priorem
Plus bis sexcentis jactet se Treviris annis,
Multisq; à prima repetatur origine Troja;
Virginis in morem tua plûs Freiberga placebit,
Quò minor, à fato tantò distantior, ævo,
Quæq; suos malit Priami præcive colonos.
Nam tibi quid populi, quid Patrum dicere laudes
Ingrediar? quid feminei miracula sexûs,
Templorumq; Deos, & habentes corda Scholarchas,
Qualis fructiferæ surgens plantatio silvæ
Seminis ostendit vires, deq; indole læta
Promittit lætas viridaria grandia stirpes;
Sic cives adolere tuos, sic crescere dextris
Freibergam auspiciis, & tendere ad astra videbis.
Ac quamquam posthinc plures de montibus urbes
Dicendæ venient, sedem suadente metallo;

Nulla tamen nec re, neque vi contendere quibit
Freibergæ, primus cui sic debebitur inter
Has locus, ut ramis oleastros inter olivæ.
Hinc laudatorum veneranda merebitur olim
Tam densam claramq; manum, qui carmine partim,
Quale præit Phœbus, partim sermone pedestri,
Quem lex Historiæ dictet; quem Suada venustet,
Illius extollant ad cæli sidera nomen.
Tunc Genius, positusq; loci, tunc mœnia lata;
Turresq;, ac longis sublimia templa columnis,
Arcisq;, & domuum splendor, cui copia opusq;
Certabunt, ac mundities quæ sita plateis,
Terrarum extremas divulgabuntur in oras.
Hic urbi mansurus honos; laus usque novanda
Est hominum, atq; illæc magis illoc tempore virtus
Florebit; sed summa fides, & amore metuq;
Debita Principibus constans reverentia nunquam
Permittent minui: quo sic se adamata probabit
Electoralis Ducibus de stirpe futuris,
Ut sua cum Dresdæ complerint tempora vitæ,
Freibergæ cupiant, annos traducere mortis,
Atq; illic aulam, hic sua mausolea celebrent.
Quid video? gelidâ nubes demittitur Arcto
Fœta viris, & equis, jamq; horrissonantibus armis
Depluit; erumpunt turmæ, spissaq; catervæ
Te, Freiberga, petunt: at tu non capta pavore
Indomitæ obsta: satis est patuisse subactam
Cæsaribus, nigrosq; aquilis cessisse leones
Proditione semel, & conditionibus ultrâ.
Vos ne successus similes sperate Suæci,
Quantumvis multas Mars vester ceperit urbes:
Non erit in numero Freiberga animosior harum,
Est genus acre virum, sunt pulcro interrita letho
Pectora, & interitum nôrunt pro laude pacisci.
Armatis ductor par est, ducitq; leones
Ipse leo præstans animis Schveinitius heros.
Hæc cecinit vates, & quæ non irritus augur
Clarè prædixit, jam ulu venisse videmus.
At Vos, in nostrum Numen quæ distulit ævum,
Lumina templorum, & sancti decora ampla Senatûs,
Tuq; metallituens columen, Schönbergie sanguis,
Cum curæ vestræ commissis ducite soles
Jucundos, urbisq; decus, quo sidera pulsat,
Doctrinis, & consiliis, ac rebus agendis,
Pergite constanter vestra pro parte tueri.
Non deerit Deus, ac populum sic porrò beabit,
Omnia quòd perftet Freiberga in sæcula felix,

F I N I S.

Typis Georgii Beutheri, Anno 1660.


ENCOMIUM URBIS FREIBERGÆ,

AUCTORE
JOANNE GULIELMO CAPOFERREO,
MONTENSI, POET. CÆS.



Reibergam canimus. Vos, quæ præstare putatis
Huic urbes aliæ, lingvis, dum canto, favete.
Misnia, terra viris doctis, formisq; Dearum
Inclyta, certantes opibus tres continet urbes,

Nulla tamen nec re, neque vi contendere quibit
Freibergæ, primus cui sic debetur inter
Has locus, ut ramis oleastros inter oliva.
Hinc laudatorum veneranda merebitur olim



Hosp
Sed p
Huc
Otto
Acpe

Vulgasset famâ multò plus esse valoris
Hermundurorum argenti de semine massis,
Quam quæ Goslarium circum peterentur, & ipse
Scrutando doctus sic rem sensisset habere,
Hisne locis, non sat certus, bene conderet urbem,
Vatem consuluit, quem tunc servabat eremus
Viventem sanctè, ac longè ventura videntem.
Ille Dei patiens, postquam de pectore sensus
Ecessit, humanæ hinc rebus, errare soluit.

Florebit; sed summa fides, & amore metuq;
Debita Principibus constans reverentia nunquam
Permittent minui: quo sic se adamata probabit
Electoralis Ducibus de stirpe futuris,
Ut sua cum Dresdæ complerint tempora vitæ,
Freibergæ cupiant, annos traducere mortis,
Atq; illic aulam, hic sua mausolea celebrent.
Quid video? gelidâ nubes demittitur Arcto
Eoeta viris, & equis iamq; horrifonantibus aenis